



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

VI. De litis contestatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

VI.

Exceptionis peremptoriæ, seu defensionis cuiuslibet principalis cognitionem negotii continentis ante litem contestatam obiectus, nisi de re iudicata vel transacta seu finita excipiat litigator litem contestationem, non impediat, nec retardet, licet dicat obiector non fuisse rescriptum obtentum, si quæ sunt impetranti opposita, fuissent exposita deleganti.

VII.

Actor qui venire ad terminum ad quem citari aduersarium fecerat non curauit, venienti reo in expensis propter hoc factis legitime condemnatur; ad citationem aliam, nisi sufficienter cauerit quod in termino fideliter compareat, minime admittendus.

VIII.

Dispendia litium æquitatis compendio volentes qua possumus industria coarctare, statutum felicis recordationis * Innocentii papæ III. super hoc editum ampliantes, decreuimus vt si quis contra alium plures personales voluerit mouere quæstiones, non ad diuersos iudices, sed eosdem super omnibus huiusmodi quæstionibus literas studeat impetrare. Qui vero contrarium fecerit, omni commodo careat literarum, nec processus valeat habitus, per easdem alias reo, si eum per ipsas fatigauerit, in expensis legitimis condemnandus. Reus quoque si eodem durante iudicio actorem sibi obnoxium dixerit reconuentionis beneficio, vel conuentionis, si literas contra eum impetrare